

quantur usque ad septimum paragraphum capituli 246. Sed hunc hiatum supplevimus ope editionis Helmæstadiensis, ut illic monemus.

XXIV. Addidi notas capitum istius collectionis quæ exstant apud Burchardum, tum, quoad fieri potuit, ex quo quæque loco singula sumpta sint, sive ex canonibus conciliorum, decretis Romanorum pontificum, ex libris Capitularium, et aliis multis locis quæ nunc commemorare opus non est. Quo in opere quantum mihi tædij devorandum fuerit, quam assiduo, longo ac duro labori incumbendum, satis intelligent qui nostram hanc operam æqua lance examinare voluerint.

XXV. Deceveram in totum abstinere a scribendis notis. Verum quoniam multa inter legendum mihi occurrerunt quæ explicatione indigere visa sunt, coactus sum abrumpere consilium meum, et adhuc operam in hoc meam præstare hominibus istarum rerum curiosis. Satis autem amplam laboris mei mercedem accepisse me putabo si meas illi notas sua approbatione honestaverint.

XXVI. Notas sequi pro more nostro debuit appendix actorum veterum quorum in notis facta mentio est. Eam confecimus ex illustribus veterum tempo-

rum monumentis, adeo ut affirmare liceat non indignam esse quæ cum Reginonis opere conjungatur. Qua in re mirifice nos adjuvit, qui studia nostra semper fovere et incitare solet, pro suo erga litteras et litterarum studiosos amore, Antonius Vion Herovallius : qui cum reliquis virtutibus suis clarissimus sit, tum ex eo capite omnium nostrum qui bonas litteras tractamus amorem et reverentiam merito in se traxit, quod non solum lubentissime favorem suum petentibus accommodat, sed ultro se ingerit et obtrudit ut liberali manu cuncta donet quæ ad eum mittuntur ex diversis urbibus et provinciis istius florentissimi regni.

Multum etiam debes, lector, erudito typographo Francisco Mugueto, qui nulli diligentæ, nullis sumptibus pepercit, ut auream istam Reginonis collectionem haberes et emendatissimam, ut revera est, et venustissimam. Ille autem idem studium eademque diligentiam tibi pollicetur in editione Capitularium, cum nobis tantum otii erit ut ad eam parandam accingere nos possimus.

Vale, lector, et libro isto utere ad majorem Dei gloriam, ad animæ tuæ salutem, denique ad utilitatem sanctæ Ecclesiæ.

DE REGINONE ELOGIA.

REGINO libro II *Chronicorum*, ad annum 892.

Per idem tempus Farabertus abbas Prumiensis cœnobii curam pastorem sua sponte per concessum regis deposuit; et ego, quamvis indignus, secundum regularem auctoritatem per electionem fratrum in regimine successi; in quo tamen non diutius immoratus, æmulis agentibus, Richarium fratrem Gerhardi et Matfridi invidiosum mei negotii successorem sustinui.

Ad annum 899.

Eodem anno Richarius abbas Prumiensis constituitur. Qualiter autem erga me actum sit idcirco in hoc loco notare distuli, ne forte injuriis provocatus ultra quam Christiana patientia permittit, persecutionis meæ causas exaggerasse viderer.

SIGBERTUS in libro de *Scriptoribus ecclesiasticis*.

Regino abbas Prumiensis scripsit ad primum Alberonem Metensem episcopum Chronicam continentem præcipue gesta Francorum, quam a nativitate Christi perduxit usque ad annum nati Christi 908.

JOANNES TRITHEMIUS in *Chronico Hirsaugiensi*, ad annum 892.

Farabertus abbas Prumiensis, annuente rege Francorum, abbatiam suam sponte resignavit. Cui Regino monachus ejusdem cœnobii successit, vir vita et eruditione celeberrimus; qui, inter cætera ingenii sui opuscula, transacti temporis Chronicon scripsit ad Adelberonem Treverensem archiepiscopum, incipiens ab origine mundi usque ad tempora sua, opus profecto celeberrimum et lectione doctorum virorum dignissimum.

Ad annum 899.

Regino Prumiensis abbas, quemadmodum in sua Chronica scribit, depositus est. Causas autem depositionis non expressit. Sed ita dicit: *Anno Domini 889, Richarius abbas, etc.* Ex quibus verbis conjicere possumus eum cum injuriis abbatia depositum, quanquam causas ignoremus.

Idem in libro de *Scriptoribus ecclesiasticis*.

Regino abbas Prumiensis cœnobii in diocesi Treverensi, ordinis sancti Benedicti, natione Teuto-

nicus, vir in divinis Scripturis eruditissimus, et in sæcularibus litteris nobiliter doctus, inter doctores Germaniæ suo tempore facile obtinuit principatum. Scripsit magnæ auctoritatis opuscula, de quibus ego tantum reperi subjecta. Ad Adalberonem primum episcopum Metensem a nativitate Christi usque ad annum ejusdem 908, continentem præcipue gesta Francorum et Germanorum scripsit Historiam seu Chronicam lib. x. De Disciplina ecclesiastica lib. II: *In primis inquirendum.* De cæteris nihil adhuc vidi. Scripsit autem præfatum opus, quod prænotatur de ecclesiastica Disciplina et Religione Christiana, jubente Rathbodo archiepiscopo Treverorum, quod ex decretis sanctorum Patrum et generalium conciliorum in duobus libris comportavit, et in nonaginta ferme capitula per rubricas ex more luculenter distinxit.

Claruit sub Arnolde imperatore anno Domini 910.

Idem in *Catalogo illustrium virorum Germaniæ*.

Regino abbas monasterii Prumiensis, ordinis divi Patris Benedicti in diocesi Treverorum, vir in divinis Scripturis eruditissimus, et in sæcularibus litteris egregie doctus, ingenio subtilis, eloquio clarus, vita et conversatione devotus, facile inter doctores sui temporis obtinuit principatum. Scripsit ad Adelberonem Metensem episcopum Historiam de gestis Francorum et Teutonicorum a nativitate Christi usque ad sua tempora lib. x. Jubente Rathbodo archiepiscopo Treverorum comportavit ex decretis et sententiis Patrum et generalium, conciliorum opus canonum insigne, quod prænotavit de ecclesiastica Disciplina et Religione Christiana, in duobus voluminibus lib. II. Sermones quoque et multos et elegantes composuit lib. I. Epistolas quoque ad diversos lib. I. Et alia complura quæ ad notitiam nostræ lectionis adhuc minime venerunt. Claruit temporibus Arnolde imperatoris, anno Domini 910.

BELLARMINUS in libro de *Scriptoribus ecclesiasticis*.

Regino abbas Prumiensis ad initium anni nonagesimi floruisse videtur. Scripsit enim libros duos *Chronicorum* ab adventu Domini usque ad annum ejusdem Domini nonagesimum octavum,

ut ipse testatur initio sui operis. Sed continuavit aliquis alius anonymus usque ad annum 967. Dicitur etiam scripsisse de Disciplina Christiana libros duos, quos exstare non puto.

Gerardus Joannes Vossius in libro secundo de Historicis Latinis.

Ejusdem Ludovici ætate, item Conrado imp. (qui Ludovico successit anno 912 ac septennium imperavit) claruit Regino, abbas Prumiensis cœnobii, in diœcesi Trevirensi. Contextuit duos Chronicorum libros, quibus præcipue tractat res Francorum. Manuscriptos habemus Cantabrigiæ in bibliotheca tum Academiæ tum collegii S. Benedicti, ut est apud Th. James. Sed ibi non Regino, verum ἀπλῶς abbas Prumiensis vocatur. De eo sic Sigebertus in Cat. cap. 112: *Regino abbas Prum, etc., usque ad annum nati Christi 908.* Ubi malim annum unum adimi. Etsi et apud Trithemium legas 98 pro 908. Sane ante annum 907, hodieque apud Reginonem reperias hæc verba: *Huc usque Regino.* Sed continuavit hæc Chronica alius usque ad annum 957, vel potius usque ad Othonem II, qui imperare cœpit anno 972. Composuit et de Doctrina ecclesiastica libros ex sanctorum Patrum et conciliorum generalium decretis. Hi manuscripti asservantur Viennæ in bibliotheca Cæsarea. Error Trithemii inde obortus, quod apud Reginonem in præfatione operis legatur: *Ea (Chronica) in duos libellos distinxi, exordium capiens a primo incarnationis Dominicæ anno, et consummans cœptum opus usque in præsentem annum, qui computatur a præfatione [leg. præfata incarnatione] Domini 908.* Sed, librarii culpa, anno auctiorem esse numerum quam convenit satis liquet ex eo quod dicebamus. Ita enim uti retulimus et in manuscriptis invenitur et in excusis tum veteribus tum nuperis. Appendix vero ea Reginonis, quam dixi, Romerium habere auctorem videtur.

Joannes MORINUS in appendice libri de Pœnitentia, pag. 39.

Sæpissime Reginonis collectionem allegamus quam penes nos habemus. Canonum collectio est in duos libros distincta. Facile colligi potest ex caractere ante annum millesimum scriptam esse, vix postea. Reginoni abbati eam damus, quia hoc fert collectionis initium majusculis litteris exara-

tum, quod est ejusmodi: *Incipit libellus de disciplinis, recollectus ex jussu Rathbodi Trevericæ a Reginone abbate monasterii ex divinis conciliis et decretis.* Istius collectionis mentionem facit Trithemius de Scriptoribus ecclesiasticis in Reginone. *Scripsit, inquit, Historiam seu Chronicam libris x. De Disciplina ecclesiast. lib. II, etc. Scripsit autem præfatum opus, quod prænotatur de ecclesiastica Disciplina et Religione Christiana, jubente Rathbodo archiepiscopo Trevirorum, quod ex decretis sanctorum Patrum et generalium conciliorum in duobus libris comportavit, et in nonginta ferme capitula per rubricas ea more luculenter distinxit.* Ita noster codex est distinctus. Primus liber continet capitula 454, secundus paulo plura, eo quod nonnulla post Reginonis mortem addita sunt, velut decretum in Conofurth anno 952, indictione 9, a rege Othone, regni illius 15, consentientibus episcopis, comitibus aliisque fidelibus latum, ut raptores virginum et viduarum anathematizarentur et omni conjugii spe in futurum frustrarentur. Sunt et quædam alia quorum causa capitulorum numerus a Trithemio notatus aliquantulum exceditur. Hinc apparet Othone primo regnante scriptum esse istud collectionis exemplar. Composita fuit et in lucem edita anno 906. Id colligitur ex fine libri primi, capite scilicet 447 et sequentibus, in quibus refertur ex concilio Nicæno formula integra condendarum epistolarum formatarum. Deinde formulæ duo exemplaria traduntur: unum Rathbodi Treverensis archiepiscopi scribentis Roberto Metensi episcopo, et illi commendantis Gislemarum presbyterum a se ordinatum; data enim est Idibus Octob., an. incarnationis 908; alterum est Dadonis Verdunensis episcopi ad Rathbodem Trevirensis eodem anno datum. Eodem tempore florebat Regino. Anno enim, ut ipse testatur in Chronico suo, 892 electus est abbas Prumiensis, licet incassum, multis contradicentibus. Chronicon autem finivit anno 906, quo formatarum istarum exemplaria ponit. Vidit hanc collectionem Ivo Carnotensis episcopus, eaque usus est in Decreto suo. Duo enim illa exemplaria litterarum formatarum verbum e verbo ex hac collectione in suam transtulit, non modo earum describendarum ex concilio Nicæno methodum, ut videre potes in Decreto sexta parte tribus ultimis capitibus.

1-21 INCIPIT LIBELLUS

DE ECCLESIASTICIS DISCIPLINIS

ET

RELIGIONE CHRISTIANA

COLLECTUS

Ex jussu domini metropolitani Rathbodi Trevericæ urbis episcopi, a Reginone quondam abbate Prumiensis monasterii, ex diversis sanctorum Patrum conciliis et decretis Romanorum pontificum feliciter in Dei nomine. Amen.

ADMONITIO DE INQUISITIONE SEQUENTI.

Inter Capitula Hincmari, quæ primum edita sunt in appendice tomi III Conciliorum Gallicæ, titulus secundus est, de his quæ magistri et decani per singulas Ecclesias inquirere et episcopo renuntiare